



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIV. Gregorii Papae I. Ad Anastasivm Episcopvm Antiochenvm.  
De Cyriaco episcopo Constantinopolitano, & profano vocabulo vniuersalis,  
quo temere vtebatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

Petri apostolorum principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt, maxime in hac vrbe, vbi omnia graui precio emuntur? Harum vero talis vita est, atque intantum lacrymis & abstinentia districta, vt credamus quia si ipsa non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. Præterea benedictionem sancti Petri apostoli clauem a sacratissimo eius corpore transmisi, de qua videlicet clauis hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus inuenisset, quia sancti Petri clauis esset despiciens; sed pro eo quod eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum vt eam incideret. Qui mox cultellum cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Antharith atque alii multi eius homines adessent, & is qui se percusserat seorsum mortuus, clauis vero hæc seorsum iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, vt eandem clauem de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque ipse hanc leuauit de terra. Antharith vero pro eodem miraculo aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit, vt per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præsentem salutem & æternam habere valeatis.

## EPISTOLA XXIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANASTASIVM EPISCOPVM ANTIOCHENVM.

De Cyriaco episcopo Constantinopolitano, &amp; profano vocabulo vniuersalis, quo temere vtebatur.

*Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.***D**ESIDERATAM suauissimæ vestræ sanctitatis epistolam communi filio meo Sabiniano diacono deferente sus-*Concil. Tom. 13.*

Aaaa ij



cepi, in qua non linguæ sed animæ verba profuebant. Et non mirum si bene loquitur qui perfecte viuit. Quia enim per magistrum Spiritum in schola cordis per præcepta vitæ didicistis terrena cuncta despiciere, ad cælestem patriam festinare; quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam de aliis sentitis. Dum vero in scriptis vestræ beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi studium, quia commemorare voluistis non quid sum, sed quid esse debeam. Illud vero quod me dicitis morum meorum debere reminisci, & maligno spiritui quærenti animas cribrare pro nulla causâ locum dare; ego quidem me semper malis moribus fuisse recolo, atque eosdem in me mores si possum vincere ac delere summopere festino. Si tamen, vt vos creditis, aliquid boni habui, in omnipotentis Dei adiutorio confido, quia oblitus non sum. Sed sanctitas vestra, vt video, in præmissis verbis dulcedinis, & subsequenti hoc verbo epistolam suam api esse similem voluit, quæ mel simul & aculeum portat, vt me & melle fatiaret, & aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditantam Salomonis vocem redeo: *Quia meliora sunt vulnera diligentis, quam inimici blandientis oscula.* Quod vero dicitis pro nulla causâ dare nos locum scandalo debere, hæc mihi & piissimus dominus filius noster, pro cuius vita incessanter orandum est, iam sapius scripsit: & quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus sum vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse; quia habent inter se maximam cognationem amor & potestas. Nam vtraque principaliter præfunt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Et quidem in suscipienda fratris & confacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit vt pro causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ ecclesiæ perturbarem, sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studii, dicens; quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana ecclesia sunt egressi. Et vt de ho-

Præf. 27.



noris vestri iniuria taceam, si vnus episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa ecclesia corrui: si vnus vniuersus, cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit citius impleturus est. *Omnis qui se exultat humiliabitur.* Hæc occupatus in multis ad epistolarum vestrarum dicta in breuitate respondi: nam quæ modo loqui per scripta non debeo, in animo signata manent. Peto vt memoriam reducat, quatenus a malis me temporalibus & æternis vestræ intercessionibus eripiant. Pro serenissimo autem domino imperatore studiose & feruenter orate, quia valde est eius vita mundo necessaria. Cesso autem amplius dicere, quia & vos non dubito scire.

EPISTOLA XXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD THEODORVM MEDICVM.

Largitatem elemosynarum eius plurimum laudat.

*Gregorius Theodoro medico Constantinopolitano.*

**D**ILECTISSIMVS filius meus Sabinianus diaconus ad me reuersus, nulla mihi gloriæ vestræ scripta detulit: sed ea quæ transmissa sunt, captiuus & pauperibus deportauit, vnde & intellexi causam. Ideo enim homini loqui per epistolas noluiſtis, quia omnipotenti Deo verbum in bona operatione feceratis. Habet enim hæc eadem vestra operatio vocem propriam, quæ ad aures Dei secreta clamat, sicut scriptum est: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te orabit.* Et quidem mihi, fateor, triste est aliena expendere, & super eas quas de substantia ecclesiastica habeo, adhuc etiam de rebus \* suauissimi filii domni Theodori rationes ponere. Vestræ tamen benignitati congaudeo, quia solícite attenditis, atque custoditis hoc quod veritas dicit: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et hoc quod scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Paulus quoque apostolus ait: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum.* Tobias filium admonet, dicens: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si autem*

Luc. 14. & 18.

Eccles. 29.

Luc. 11.

Eccles. 3.

1. Cor. 8.

Tob. 4.

\* al. sanctissimi